

carne assumpsit, dicitur similitudinem peccati gessisse, secundum illud Apostoli ad Roman. 8, 3: "Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati." Unde et ipsa Christi possibilitas vel passio ab Apostolo peccatum nominatur, cum subditur: "et de peccato damnavit peccatum in carne," et Rom. 6, 10: "Quod mortuus est peccato, mortuus est semel." Et quod est mirabilius, hac etiam ratione dicit Apostolus ad Galat. 3, 12, quod est "factus pro nobis maledictum." Hac etiam ratione dicitur simplam nostram necessitatem assumpsisse, scilicet poenae, ut duplam nostram consumeret, scilicet culpae et poenae.

Est autem considerandum ulterius, quod defectus poenales in corpore duplices inveniuntur. Quidam communes omnibus, ut esuries, sitis, lassitudo post laborem, dolor, mors et hujusmodi. Quidam vero non sunt omnibus communes, sed quorundam hominum proprii, ut caecitas, lepra, febris, membrorum mutilatio, et hujusmodi. Horum autem defectuum haec est differentia: quia defectus communes in nobis ab alio traducuntur, scilicet ex primo parente, qui eos pro peccato incurrit; defectus autem proprii ex particularibus causis in singulis hominibus innascuntur. Christus autem ex se ipso nullam causam defectus habebat nec ex anima, quae erat gratia et sapientia plena, et Verbo Dei unita; nec ex corpore, quod erat optime organizatum et dispositum, omnipotentis virtute Spiritus sancti compactum: sed sua voluntate dispensative ad nostram salutem procurandam, aliquos defectus suscepit. Illos igitur suscipere debuit qui ab alio derivantur ad alios, scilicet communes; non proprios, qui in singulis ex causis propriis innascuntur. Similiter etiam quia principaliter venerat ad restaurandum humanam naturam, illos defectus suscipere debuit qui in tota natura inveniuntur. Patet etiam secundum praedicta quod, ut Damascenus dicit, Christus assumpsit defectus nostros indetractabiles, id est quibus detrahi non potest. Si enim defectum scientiae vel gratiae suscepisset, aut etiam lepram, aut caecitatem, aut aliquid hujusmodi: hoc ad derogationem dignitatis Christi pertinere videretur, et esset hominibus detrahendi occasio, quae nulla datur ex defectibus totius naturae.

CAPUT CCXXVII.

Quare Christus mori voluit.

Manifestum est secundum praedicta quod Christus aliquos defectus nostros suscepit non ex necessitate, sed propter aliquem finem, scilicet propter salutem nostram. Omnis autem potentia

et habitus siveabilitas ordinatur ad actum sicut ad finem: unde passibilitas ad satisfaciendum vel merendum non sufficit sine passione in actu. Non enim aliquis dicitur bonus vel malus ex eo quod potest talia agere, sed ex eo quod agit; nec laus et vituperium debentur potentiae, sed actui. Unde et Christus non solum passibilitatem nostram suscepit ut nos salvaret, sed etiam ut pro peccatis nostris satisfaceret, voluit pati. Passus est autem pro nobis ea quae ut nos pateremur ex peccato primi parentis meruimus: quorum praecipuum est mors, ad quam omnes aliae passiones humanae ordinantur sicut ad ultimum, "Stipendia," enim "peccati mors," est, ut Apostolus dicit ad Rom. 6, 23. Unde et Christus pro peccatis nostris voluit mortem pati, ut dum poenam nobis debitam ipse sine culpa susciperet, nos a reatu mortis liberaret; sicut aliquis debito poenae liberaretur, alio pro eo poenam sustinente. Mori etiam voluit, ut non solum mors ejus esset nobis satisfactionis remedium, sed etiam salutis sacramentum ut ad similitudinem mortis ejus nos carnali vitae moriamur, in spiritualem vitam translati, secundum illud 1 Petri 3, 8: "Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu." Mori etiam voluit, ut nobis mors ejus esset perfectae virtutis exemplum. Quantum ad caritatem quidem, quia "majorem caritatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis," ut dicitur Joan. 15, 13: Tanto enim quisque magis amare ostenditur, quanto plura et graviora pro amico pati non refugit. Omnium autem humanorum malorum gravius est mors, per quam tollitur vita humana: unde nullum magis signum dilectionis esse potest, quam quod homo pro amico vero se morti exponat. Quantum ad fortitudinem vero, quae propter adversa a justitia non recedit, quia maxime ad fortitudinem pertinere videtur ut etiam nec timore mortis aliquis a virtute recedat: unde dicit Apostolus Hebr. 12, 14: de passione Christi loquens: "Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti." Dum enim pro veritate mori non recusavit, exclusit timorem moriendi, propter quem homines servituti peccati plerumque subduntur. Quantum ad patientiam vero, quae in adversis tristitiam hominem absorbere non sinit; sed quanto sunt majora adversa, tanto magis in his relucet patientiae virtus: unde in maximo malorum, quod est mors, perfectae patientiae datur exemplum, si absque mentis turbatione sustineatur; quod de Christo propheta praedixit dicens, Isai. 53, 7: "Tamquam agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum." Quantum ad obedientiam, quia tanto laudabilior est obedientia, quanto in difficilioribus quis obedit:

omnium autem difficillimum est mors. Unde ad perfectam obedientiam Christi commendandam, dicit Apostolus ad Philippen. 2, 8, quod "factus est obediens," Patri "usque ad mortem."

CAPUT CCXXVIII.

De morte crucis.

Ex eisdem autem causis apparet quare mortem crucis voluit pati. Primo quidem quia hoc convenit quantum ad remedium satisfactionis: convenienter enim homo punitur per ea in quibus peccavit: "per quae enim peccat quis, per haec et torquetur," ut dicitur Sapientiae 11, 17: Peccatum autem hominis primum fuit per hoc quod pomum arboris ligni scientiae boni et mali contra praeceptum Dei comedit: loco cujus Christus se ligno affigi permisit, ut exsolveret quae non rapuit, sicut de eo Psalmista dicit in Psal. 58. Convenit etiam quantum ad sacramentum. Voluit enim Christus ostendere sua morte, ut sic moreremur vita carnali quod spiritus noster in superna elevaretur: unde et ipse dicit Joan. 12, 32: "Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum." Convenit etiam quantum ad exemplum perfectae virtutis. Homines enim quandoque non minus refugiunt vituperabile genus mortis quam mortis acerbiter: unde ad perfectionem virtutis pertinere videtur ut propter bonum virtutis etiam aliquis vituperabilem mortem non refugiat pati. Unde Apostolus ad commendandam perfectam obedientiam Christi, cum dixisset de eo quod "factus," est "obediens usque ad mortem," subdit: "Mortem autem crucis," quae quidem mors turpissima videbatur, secundum illud Sapientiae 2, 20, "Morte turpissima condemnemus eum."

CAPUT CCXXIX.

De morte Christi.

Cum autem in Christo conveniant in unam personam tres substantiae, scilicet corpus, anima, et Divinitas Verbi, quarum duae, scilicet anima et corpus, unitae sunt in unam naturam; in morte quidem Christi separata est unio corporis et animae: aliter enim corpus vere mortuum non fuisset: mors enim corporis nihil est aliud quam separatio animae ab ipso. Neutrum tamen separatum est a Dei Verbo quantum ad unionem personae. Ex unione autem animae et corporis resultat

humanitas: unde separata anima a corpore Christi per mortem, in triduo mortis homo dici non potuit. Dictum est autem supra, quod propter unionem in persona humana ad Dei Verbum, quicquid dicitur de homine Christo, potest et convenienter de Dei Filio praedicari. Unde cum in morte manserit unio personalis Filii Dei tam ad animam quam ad corpus Christi, quicquid de utroque eorum dicitur, poterat de Dei Filio praedicari. Unde et in Symbolo dicitur de Filio Dei, quod "sepultus est," propter hoc quod corpus sibi unitum in sepulcro jacuit, et quod "descendit ad inferos," anima descendente.

Est etiam considerandum, quod masculinum genus designat personam, neutrum vero naturam: unde in Trinitate dicimus, quod Filius est alius a Patre, non aliud. Secundum hoc ergo in triduo mortis Christus fuit totus in sepulcro, totus in inferno, totus in caelo propter personam, quae unita erat et carni in sepulcro jacenti, et animae infernum expolianti, et subsistebat in natura divina in caelo, regnante; sed non potest dici quod totum in sepulcro aut in inferno fuerit, quia non tota humana natura, sed pars in sepulcro aut in inferno fuit.

CAPUT CCXXX.

Quod mors Christi fuit voluntaria.

Fuit igitur mors Christi nostrae morti conformis quantum ad id quod est de ratione mortis, quod est animam a corpore separari; sed quantum ad aliquid mors Christi a nostra morte differens fuit. Nos enim morimur quasi morti subjecti ex necessitate vel naturae, vel alicujus violentiae nobis illatae; Christus autem mortuus est non necessitate, sed potestate, et propria voluntate: unde ipse dicebat, Joan. 10, 18: "Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam."

Hujus autem differentiae ratio est, quia naturalia voluntati nostrae non subjacent; conjunctio autem animae ad corpus est naturalis: unde voluntati nostrae non subjacet quod anima corpori unita remaneat, vel quod a corpore separetur; sed oportet hoc ex virtute alicujus agentis provenire. Quicquid autem in Christo secundum humanam naturam erat naturale, totum ejus voluntati subjacebat propter Divinitatis virtutem, cui subjacet tota natura. Erat igitur in potestate Christi ut quamdiu vellet, anima ejus corpori unita remaneret, et statim cum vellet, separaretur ab ipso. Hujusmodi autem divinae virtutis indicium Centurio cruci Christi assistens sensit, dum eum vidit clamantem expirare: per quod manifeste ostendebatur, quod non sicut ceteri homines ex defectu naturae moriebatur: non enim possunt

homines cum clamore spiritum emittere, cum in illo mortis articulo vix etiam possint palpitando linguam movere unde quod Christus clamans expiravit, in eo divinam manifestavit virtutem: et propter hoc centurio dicit (Matth. 27, 54): "Vere Filius Dei erat iste."

Non tamen dicendum est quod Judaei non occiderint Christum, vel quod Christus ipse se occiderit. Ille enim dicitur aliquem occidere qui ei causam mortis inducit; non tamen mors sequitur nisi causa mortis naturam vincat, quae vitam conservat. Erat autem in potestate Christi ut natura causae corrupti cederet, vel resisteret quantum ipse vellet: ideo et ipse Christus voluntarie mortuus fuit, et tamen Judaei occiderunt eum.

CAPUT CCXXXI.

De passione Christi quantum ad corpus.

Non solum autem Christus mortem pati voluit; sed et alia quae ex peccato primi parentis in posteros proveniunt; ut dum poenam peccati integraliter susciperet, nos perfecte a peccato satisfaciendo liberaret. Horum autem quaedam praecedunt mortem, quaedam mortem subsequuntur. Praecedunt quidem mortem corporis passiones tam naturales, ut fames, sitis, lassitudo et hujusmodi, quam etiam violentae, ut vulneratio, flagellatio et similia: quae omnia Christus pati voluit tamquam provenientia ex peccato. Si enim homo non peccasset, nec famis aut sitis aut lassitudinis vel frigoris afflictionem sensisset, non ab exterioribus pertulisset violentam passionem. Has tamen passiones alia ratione Christus pertulit, quam alii homines patiantur: in aliis enim hominibus non est aliquid quod iis passionibus repugnare possit; in Christo autem erat unde iis passionibus resisteretur, non solum virtus divina increata, sed etiam animae beatitudo, cujus tanta vis est, ut Augustinus dicit, ut ejus beatitudo suo modo redundet in corpus: unde post resurrectionem ex hoc ipso quod anima glorificata erit per visionem Dei, et apertam et plenam fruitionem, corpus gloriosae animae unitum gloriosum reddetur, impassibile et immortale. Cum igitur anima Christi perfecta visione Dei frueretur, quantum est ex virtute hujus visionis, consequens erat ut corpus impassibile et immortale redderetur per redundantiam gloriae ab anima in corpus; sed dispensative factum est ut, anima Dei visione fruente, simul corpus pateretur, nulla redundantia gloriae ab anima in corpus facta. Suberat enim, ut dictum est, quod erat naturale Christo secundum humanam naturam,

ejus voluntati: unde poterat naturalem redundantiam a superioribus partibus ad inferiores pro suo libito impedire, ut sineret unamquamque partem pati aut agere quod sibi proprium esset absque alterius partis impedimento: quod in aliis hominibus esse non potest.

Inde etiam est quod in passione Christus maximum corporis dolorem sustinuit, quia corporalis dolor in nullo mitigabatur per superius gaudium rationis, sicut nec e converso dolor corporis rationis gaudium impediabat.

Hinc etiam apparet quod solus Christus viator et comprehensor fuit. Sic enim divina visione fruebatur (quod ad comprehensorem pertinet) ut tamen corpus passionibus subjectum remaneret, quod pertinet ad viatorem. Et quia proprium est viatoris ut per bona quae ex caritate agit, mereatur vel sibi vel aliis; inde est quod Christus quamvis comprehensor esset, meruit tamen per ea quae fecit et passus est, et sibi et nobis. Sibi quidem non gloriam animae, quam a principio suae conceptionis habuerat, sed gloriam corporis, ad quam patiundo pervenit: nobis etiam suae singulae passiones et operationes fuerunt proficuae ad salutem, non solum per modum exempli sed etiam per modum meriti; inquantum propter abundantiam caritatis et gratiae nobis potuit gratiam promereri, ut sic de plenitudine capitis membra acciperent. Erat siquidem quaelibet passio ejus, quantumcumque minima, sufficiens ad redimendum humanum genus, si consideretur dignitas patientis. Quanto enim aliqua passio in personam digniorem infertur, tanto videtur major injuria: puta si quis percutiat principem quam si percutiat quemdam de populo. Cum igitur Christus sit dignitatis infinitae, quaelibet passio ejus habet infinitam existimationem, ut sic sufficeret ad infinitorum peccatorum abolitionem. Non tamen fuit per quamlibet consumata humani generis redemptio, sed per mortem: quam propter rationes supra positas ad hoc pati voluit, ut genus humanum redimeret a peccatis. In emptione enim qualibet non solum requiritur quantitas valoris, sed deputatio pretii ad emendum.

CAPUT CCXXXII.

De passibilitate animae Christi.

Quia vero anima est forma corporis, consequens est ut patiente corpore, et anima quodammodo patiatur; unde pro statu illo quo Christus corpus passibile habuit, etiam anima ejus passibilis fuit. Est autem considerandum, quod duplex est animae passio. Una quidem ex parte corporis; alia vero ex parte

objecti: quod in una aliqua potentiarum considerari potest. Sic enim se habet anima ad corpus sicut pars animae ad partem corporis. Potentia autem visiva patitur quidem ab objecto, sicut cum ab excellenti fulgido visus obtunditur; ex parte vero organi, sicut cum laesa pupilla hebetatur visus. Si igitur consideretur passio animae Christi ex parte corporis, sic tota anima patiebatur corpore patiente: est enim anima forma corporis secundum suam essentiam; in essentia vero animae omnes potentiae radicanur: unde relinquitur quod corpore patiente quaelibet potentia animae quodammodo pateretur. Si vero consideretur animae passio ex parte objecti, non omnis potentia animae patiebatur, secundum quod passio proprie sumpta nocumentum importat: non enim ex parte objecti cujuslibet potentiae poterat aliquid esse nocivum: jam enim supra dictum est, quod anima Christi perfecta Dei visione fruebatur. Superior igitur ratio animae Christi, quae rebus aeternis contemplandis et consulendis inhaeret, nihil habebat adversum aut repugnans, ex quo aliqua nocumenti passio in ea locum haberet: potentiae vero sensitivae, quarum objecta sunt res corporeae, habere poterant aliquod nocumentum ex corporis passione: unde sensibilis dolor in Christo fuit corpore patiente. Et quia laesio corporis sicut a sensu sentitur noxia, ita etiam interior imaginatio eam ut nocivam apprehendit, inde sequitur interior tristitia etiam cum dolor in corpore non sentitur: et hanc passionem tristitiae dicimus in anima Christi fuisse. Non solum autem imaginatio, sed etiam ratio inferior nociva corporis apprehendit: et ideo etiam ex apprehensione inferioris rationis, quae circa temporalia versatur, poterat passio tristitiae habere locum in Christo: inquantum scilicet mortem et aliam corporis laesionem inferior ratio apprehendebat ut noxiam, et appetitui naturali contrariam. Contingit autem ex amore, qui facit duos homines quasi unum, ut aliquis tristitiam patiatur non solum ex iis quae per imaginationem vel per inferiorem rationem apprehendit ut sibi nociva, sed etiam ex iis quae apprehendit ut noxia aliis quos amat: unde ex hoc tristitiam Christus patiebatur, secundum quod aliis, quos ex caritate amabat, periculum imminere cognoscebat culpae vel poenae: unde non solum sibi, sed etiam aliis doluit. Et quamvis dilectio proximi ad superiorem rationem quodammodo pertineat, inquantum proximus ex caritate diligitur propter Deum: superior tamen ratio in Christo de proximorum defectibus tristitiam habere non potuit, sicut in nobis habere potest. Quia enim ratio superior Christi plena Dei visione fruebatur, hoc modo apprehendebat quidquid ad aliorum defectus pertinet, secundum quod in divina sapientia continetur, secundum quam decenter ordinatum existit et quod aliquis peccare permittatur, et quod pro peccato punietur.

Et ideo nec anima Christi, nec aliquis beatus Deum videns, ex defectibus proximorum tristitiam pati potest. Secus autem est in viatoribus, qui ad rationem sapientiae videndam non attingunt: hi enim etiam secundum rationem superiorem de defectibus aliorum tristantur, dum ad honorem Dei et exaltationem fidei pertinere existimant quod aliqui salventur, qui tamen damnatur. Sic igitur de eisdem de quibus dolebat secundum sensum, imaginationem et rationem inferiorem, secundum superiorem gaudebat, inquantum ea ad ordinem divinae sapientiae referebat. Et quia referre aliquid ad alterum est proprium opus rationis, ideo solet dici quod mortem ratio Christi refugiebat quidem si consideretur ut natura, quia scilicet naturaliter est mors odibilis: volebat tamen eam pati, si consideretur ut ratio.

Sicut autem in Christo fuit tristitia, ita etiam et aliae passionem quae ex tristitia oriuntur, ut timor, ira et huiusmodi. Ex iis enim quae tristitiam praesentia ingerunt, timor in nobis causatur, dum futura mala existimantur; et dum aliquo laedente contristati sumus, contra eum irascimur. Hae tamen passionem aliter fuerunt in Christo quam in nobis. In nobis enim plerumque iudicium rationis praeveniunt, interdum modum rationis excedunt. In Christo nunquam praeveniebant iudicium rationis, nec modum a ratione taxatum excedebant: sed tantum movebatur inferior appetitus, qui est subjectus passioni, quantum ratio ordinabat eum debere moveri. Poterat igitur contingere quod secundum inferiorem partem anima Christi refugiebat aliquid, quod secundum superiorem optabat; non tamen erat contrarietas appetituum in ipso, vel rebellio carnis ad spiritum, quae in nobis contingit ex hoc quod appetitus inferior iudicium et modum rationis transcendit. Sed in Christo movebatur secundum iudicium rationis, inquantum permittebat unicuique inferiorum virium moveri proprio motu, secundum quod ipsum decebat.

Iis igitur consideratis manifestum est quod superior ratio Christi tota quidem fruebatur et gaudebat per comparisonem ad suum objectum (non enim ex hac parte aliquid ei occurrere poterat quod esset tristitiae causa); sed etiam tota patiebatur ex parte subjecti, ut supra dictum est. Nec illa fruitio minuebat passionem, nec passio impediabat fruitionem: cum non fieret redundantia ex una potentia in aliam, sed quaelibet potentiarum permetteretur agere quod sibi proprium erat, sicut jam supra dictum est.